

Panegyryn medicam ... indicit de officiis medicorum non digne satis compensatis praefatus / [Anton Wilhelm Plaz].

Contributors

Plaz, Anton Wilhelm, 1708-1784.

Publication/Creation

Leipzig : Heirs of Langenheim & Klaubarth, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zzhj4wm3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

A. XXXVI.

18/a

De officiis medicorum
non digne satis compen-
- satis.

A. W. Platz

~~C. F. Agner.~~

1780

A

XXX
VI

f

18

A-xxxvi. f

18

ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA
H. T.
PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ
THERAP. P. P. O. FACVLT. MED. DECANVS ACAD. ET
NATION. SAXON. SENIOR DECEMVIR MAIOR. PRINCIP.
COLL. COLLEGA ACAD. IMPERIAL. NATVR.
CVRIOS. SOCIVS
PANEGYRIN MEDICAM
AD D. XVII. MART. A. R. S. MDCCLXXX.
INDICIT
DE
OFFICIIS MEDICORVM NON DIGNE SATIS
COMPENSATIS
PRAEFATVS

23/6/10

PALINGENIVS in Tauro.

sunt ferrea multis

eorda.



Plus vna, non ex artis medicae qualitate, quae certe nobilissima est, petita, sed in obtusioribus praestantissimae huius scientiae osorum capitibus nata, ipsam contumeliosius habendi sese prodit causa, maxime tamen iniusta. Non enim nobilitatem atque praestantiam eius ipsi tantum inuident maleuoli, verum etiam tot calumniis traducunt, tot conuiciis atque mendaciis purissimam eius faciem contaminant, quasi nihil aliud in medicina peragatur, quam vt caedes impune perpetrentur, audacissimae crudelitates in illa vigeant, atque vniuerso humano generi praesentissimum exitium ex solis immineat medicis, ita vt, quae olim propter diuinam suam originem, in summo habebatur pretio humanae sanitatis tutrix, nunc infimo ponenda loco, anilis censeatur opella. Ipsa non raro fit, quod nemo diffitetur, medicinam colentium culpa, quod maxima suae laudis parte hoc priuetur studium, dum neglecta disciplinarum instrumentalium atque theoreticarum, ad medicinae perfectionem quam maxime facientium, diligente satis cognitione, celeri nimium saltu ad practicas protinus deproperatur scholas, atque hic quoque in superficiali vulgationum nonnullorum dogmatum compendio, atque remediorum vsitatorum apparatu, felici memoria, sine iudicio tamen capto, omnem rei medicae cardinem verti, perperam existimatur.

IV

Hinc est, quod ex *imperitiorum* istorum coeptis, exoptato successu carentibus, ad vniuersae medicinae incertitudinem, imo damnositatem, absongo nimium subsumatur argumento, quinimo eo usque procedatur proterviae, ut scientia haec, adeo ampla, adeo magno labore addiscenda, adeo nihilo secius facilis existimetur, ut cuius, vel mediocri ingenio praedito, sanctuaria ipsius intrare, atque collecta vna alteraque formula, ex quocunque demum libello sine vlla prudentia compilata, morborum curam suscipi, atque inuitas et sanitatem hominum liberrime defaecui posse reputetur. Haec certe, non *artis* vitio, sed *seculi* corruptis moribus, atque turbatorum ignorantiae et temeritati tribuenda esse, quilibet prudentior fatebitur. Fuit haec omnium artium atque scientiarum sinistra sors, omni tempore deplorata, quod, quo magis ad summum perfectionis atque laudis increuerint fastigium, eo maiore quoque cum contentione in eo fuerit laboratum, ut inuidorum roderentur dentibus, aut quibuscunque demum contumeliarum generibus lacerarentur, adeo, ut simili fato pressum scientiae salutaris studium, contemtibile propemodum videri possit, nisi prudentiorum, aequius de ipsius nobilitate sentientium, dignissimis sustineretur suffragiis, quibus, quo minus vera suae estimationis laude cadere possit, efficiatur. Neutiquam tamen hinc omnem, iniquius de ipsa sentiendi desiisse impetum, arbitrari conueniet; multae profecto adhuc sunt miseriae, medicum affatim prementes, atque eminentiae officii, cui cum laude praest, variis modis, factorum potissimum iniquitate, officientes, ex quarum compluribus, vnā saltem iam commemorare lubet, ex qua intelligi possit, quam parum de laboribus medicorum digne satis remunerandis, subinde cogitent, qui assiduo ipsorum conamine, mortis faucibus erepti, beneficiorum istorum nihilo secius immemores, pessimo suo exemplo illud comici effatum

effatum confirmant: ingrato homine nihil dici aut cogitari posse turpius; cuius rei veritatem, etiam si abunde notissimam, paucissimis tamen exponere, atque in eorum mentem reuocare constitutum est, qui in praemiis medico soluendis, probrosa tenacitate vtentes, quam longe ab humanitatis officiis et sensu absint, luculenter satis edocent.

Vilesciente autem medicina, medicus etiam vilescit; causa vero, praeter alias quam plurimas, haud vltima est, quod vilissimo saepe pretio, pretiosissima vita, tot morborum procellis circumdata, a medico, summo saepe cum incommodo, atque periculo etiam, saluanda poscatur, vix tantillum gratiarum, sedum mercedis, pro officiosa sua vigilantia reportante. Quotusquisque enim est, quin ipsemet sentiat, quantum miseriarum inde habeat medicus, quod in malignis, contagiosis, chronicis, omnisque generis grauioribus morbis, intra impurissimorum conclauium aerem, cunctis coeli iniuriis expositus, sub vilis forsitan imperialis praemiolo, per totam septimanam venalem circumferat animam, aliorumque absonis praeiudiciis, atque ineptissimis saepe opinionibus sese exponat, aut in consultationibus, in perpetuas animorum alienationes, contradictiones, dissensiones, aut nasutulorum et nasutularum insulsiissima iudicia sese iniiciat? quotusquisque est, qui ad aegrum accedens, angeli nomine salutatus, postmodum vero horridam atque terribilem non habere dicatur faciem, si promerita laborum poscat praemia, scite admodum ab OWENO depictam?*)

A 3

quis

*) Epigr. Libr. I. epigr. 95.

Intrantis medici facies tres esse videntur

Aegrotanti, hominis, daemonis, atque dei.

Quam primum accessit medicus, dixitque salutem,

En Deus, aut custos angelus, aeger ait.

Cum morbum medicina fugauerit, Ecce homo, clamat,

Cum poscit medicus praemia, Vade Satan!

quis medicus, si aegrum a podagra aliove morbo liberauerit, hunc ad sostrum soluendum nunc chiragricum factum fuisse, non subinde experiatur? illius ad exemplum, de quo MARTIALIS habet:

Litigat, et podagra Diodorus Flacce laborat,

Sed nil patrono porrigit, haec chiragra est.)*

Est leue hominum genus, quod a morbo, ex turpi Venere contracto, barbitonforis, aut alius empirici cura utcumque liberatum, medicastro suo largissimum praebet sostrum, cum, si a perito curatum fuisset medico, dimidia pars forte suffecisset. Sunt, qui, cum vita in periculo est, metu adacti, aureos pollicentur montes, atque splendidis promissis medicorum auribus insidiantur, cum vero restituti fuerint, exigua mercedula, tutoris sui, non satiant, sed fallunt crumenam, cum vero impudentissimi circulatoris manibus atque audacissimis vaniloquiis sese commiserint, plenis manipulis numos ante profundunt, non sanitatem emturi, quin potius sanitatis corruptionem, atque grauiorum morborum accessum praemii loco lataturi. Quasi vero medicus iure quodam teneatur, ut ignarissimo empirico postponi, atque macilentioribus praemiolis contentus esse debeat, ut cum priuatae suae rei damno, id lucri tandem ferat, ut aliis inseruiendo consumatur. Sunt vero alii quoque, tanto peiores, quanto maiore aduersus medicos malitia agunt, tales nempe, qui medicos, a quibus calamitatum suarum saluberrimum auxilium acceperunt, supercilioso fastu despiciunt, atque odio et calumniis prosequuntur, ipsorumque famam procacissimis contumeliis deprimere haud verentur, istisque pessimis artibus, ipsos promerito suo sostro defraudare student, negligentiam medici accusantes, aut curam non recte peractam obvertentes, aut nescio quid exceptionum effingentes, quibus in-

grati

*) Epigr. Libr. I. epigr. 99.

grati animi turpitudinem celare queant. Et, si quidem etiam annuorum fostrorum computemus summulam, non sine indignatione quandoque datam, quid quaeso erit, quod singulis visitationibus tribuendum sit, et tamen magna in medicum creditur esse liberalitas, si pro tot *annuis* laboribus, viginti aut triginta mittantur imperiales, cum dolore saepe missi, in illecebrosarum tamen voluptatum, quibus multi haud infrequenter comparantur morbi, fruitionem, absque vlla difficultate, *una die* plus simplici vice profusi. Quis vero sit, quem non taedeat, in talibus locis artem facere, in quibus medicis neque digna satis sunt praemia, neque artis existimatio viget? Aptissime hanc miseriarum istarum originem, DEMOCRITVS in *epistola ad Hippocratem* describit: *certe suspicor, inquiens, pleraque in arte tua, aut per ingratitudinem, aut per malitiam, palam contumelia affici. Aegrotantes enim, simul ac seruati sunt, causam diis, vel fortunae attribuunt, plerique vero, hoc suae naturae assignantes, bene merentem medicum odio prosequuntur, parumque abest, quin indignentur, si ipsi operam debeant. Multi etiam, artis imperitiam prae se ferentes, cum sint ignorantes, quod melius est, damnant. *)* Honorificam quidem esse medicorum auctoritatem, dum aliis imperare possunt, dudum prudentissimorum virorum constitit suffragiis, cum vero propter mercedem accipiendam, seruitio quasi adstricti existimentur, aegri sibi potius imperium in medicos competere arbitrantur, atque sic vere conductitiam factam fuisse medicinam, quis non merito conqueratur? Alia certe atque feliciora, medicinae atque medicorum olim erant fata atque auctoritatis pretium. Non enim exigua forte numorum summula donati, morosius dimittebantur, verum ponderibus auri missis honorabantur. Vnicum, omnium testimoniorum instar, esse poterit epistola regis Artaxerxis ad Hystanem Hellesponti

*) Epist. XII.

VIII

lesponti praefectum data, qua Hippocrati tantum auri dari iubetur, quantum cuperet. Erasistratus, Antiocho rege sanato, centum talenta, a Ptolemaeo, filio eius, referente PLINIO, nostri loco accepit. *) Praeter vero amplissimam numorum copiam, medicos etiam annulis, torquibus, statuis et monumentis publicis olim honoratos fuisse, historicorum constat testimoniis, conuiuia praeterea, in medicorum honorem a magnatibus instituta fuisse, TACITVS commemorat, *erat medicus, arte insignis*, inquit, *nomine Charicles, non quidem principis valetudinem regere solitus, consilii tamen copiam praebens. Is, veluti ad propria negotia digrediens, et per officii speciem, pulsum tangere consuevit, neque vnquam praesagio deceptus fuit; huius in honorem, Tiberius epulas splendoras instruere iussit, atque Chariclem magni faciendum esse imperauit.* **) CAROLVS VIII. Galliarum rex, medico suo, *Iacobo Costerio*, decem aureorum millia, menstrui stipendii loco assignauit. O felicia ista, aurea vere secula! nobis prorsus ignota, neque vnquam speranda, dummodo argentea adhuc persisterent; Galenus enim munificus habitus, quod olim Astraea fecisse fertur,

deseruit nostras terras, et ad astra volauit.

Neque tamen mirandum, Galenum istis temporibus tantas medicis dedisse opes, cum scientiarum solidarum magna esset reuerentia; quid vero hodie num aeris, quid aestimii habet Hippocrates? Si quidem magnus ille Panfophus PANCIOLOVS, hoc viueret aeuo, honores atque munera in medicos collata, *rebus deperditis*, quarum insignem collegit numerum, additurus esset. Quis non mallet in tanta seculi atque morum conuersione, opifex potius esse aut mercenarius, atque suis manuariis viuere laboribus, quam id magno sudore, atque inter tot curarum difficultates acquirere, vt exigua aut plane

nulla

*) Libr. XXIX. cap. I.

**) Annal. Lib. VI. cap. 50.

nulla assiduitatis suae, qua aliis ingenue inferuire studuit, accipiat praemia? Opifices, stata sua, suisque laboribus conueniente fruuntur mercede, ipsis non facile eripienda, aut iniuste minuenda, ex qua, non vitae solum sibi parent necessitates, verum etiam aliquid futuris vsibus reponant; hoc certe paucissimis licebit medicis, ad inopiam potius, poetis ceteroquin iure priuatio saltem competentem, non natis, sed damnatis, atque paucissimas, ne mediocres quidem diuitias conquisituris. Rari certe sunt aegri, qui CICERONIS monitis obtemperantes, medicis ea propter praemia dari debere meminerint, vt eo sint studiosiores. *) Et quidem, si iurisconsultus non tenetur consilia gratis ferre, nisi pauperrimis, si aduocatus pro labore minus certe molesto, honorarium poscenti ius obtineat, ipsi per leges confirmatum, multo minus medicus gratis mederi tenebitur, cuius longe nobilior videtur causa, cum salutis atque vitae curam gerat, iurisconsultus vero, bona atque facultates ciuium saltem tueatur. Neque enim medicus, vi quasi *pacti*, quo sanitatem restituere adstringatur, aut se redditurum, absque vlla exceptione polliceatur, praemia sua poscit, aut, cum hanc restituere haud potuerit, mercede sua priuandus existimandus erit, quin potius *laboris* sui, etiamsi incassum collocati remunerationem, iure postulat, veluti Professori non ea propter honorarium debetur, vt discipuli ex eius institutione proficiant, cum doctrina et sapientia omni pretio sit superior, sed quod sapientiam docendo, animos bonis artibus imbuere allaborauerit, indeque illi, qui scholas deserunt, aut indocti ex illis egrediuntur, ipsi mercedem denegare haud poterunt, cum non praeceptoris, sed sua culpa factum fuerit, quod ingenium suum ad cognitionem doctrinarum propositarum transferre

*) Epistol. ad famil. Libr. XVI. epist. 4.

ferre neglexerint. In *omnes* enim idem impenditur labor, ab *omnibus* quoque grata mente compensandus, indeque medico etiam, siue aeger conualuerit, siue fato suo succubuerit, cum idem, imo operosior quandoque in morbis contumacioribus impendendus fuerit labor, nihil quidquam de praemio soluendo subtrahere, aut plane denegare conueniet, nisi forte in enormi sostro poscendo, aequitatis violatas fuisse regulas manifestum sit, quae tamen suspicio in medicum probum haud cadit.

Praeuidit quidem has, aliasque molestias, medicam artem comitantes,

V I R

CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

DOMINVS

CAROLVS FRIDERICVS

AGNER,

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

intrepido tamen animo aduersus has difficultates eundum esse, haud ignarus; ita in studiis medicis recte excolendis versatus fuit, vt se felicem humanae sanitatis tutorem in posterum futurum, confidenter admodum sperare possit; quandoquidem probatissimis Ordini nostro datis speciminibus edocuit, se doctrina locupletatum, prouidi atque rationalis medici officia omni ex parte expleturum, atque fiduciam aegrorum, curae suae committendorum, laudatissima vigilantia, honestate, atque aequitate promeriturum. Quibus vero ducibus atque magistris

gistris haec studiorum atque virtutum suarum complementa in acceptis ferat, ex vitae eius ratione, vti moris est, hic reddenda intelligitur.

Natus est Penicii, die XXII. mensis Iunii anno huius seculi LVIII, patre IOANNE ALBERTO, Pharmacopoeo, matre IOANNA SOPHIA, e gente Riemia, quem utrumque parentem, sibi adhuc supersitem, pio gratoque animo veneratur, nihilque magis in votis habet, quam ut summi Numinis providentia iisdem longam, nulla-que felicitate carentem senectutem largiatur. Omnem curam in educatione ipsius hi adhibuerunt, atque ut sanctissimae religionis bonarum-que litterarum fundamenta cognita ipsi redderentur, SCHILDIO, eo tempore in schola Peniciensi Rectori, nunc apud Lobsdorfianos Pastori tradiderunt, cuius scholis tam priuatis quam publicis interfuit, et KRAVSIO tunc sancti Ministerii Candidato, nunc in pago, Ratendorf dicto, diuini verbi ministro ulterius perficiendus commissus fuit. His ducibus in religionis et litterarum primis lineis imbutus et praeparatus, a patre anno LXVIII in illustre Gymnasium, quod Gerae floret, missus, ex eruditissimorum Virorum, D. HAVPTMANNI, Directoris, M. ZEIBICHII, Professoris, M. HEYDII, Conrect. et Subconrect. HEINRICI doctrinis et institutionibus profecit. Tandem anno LXXVI Lipsiam petiit, et a Magnifico BELIO fasces

Academiae tunc temporis tenente, studiosorum numero adscriptus fuit. Hic praestantissimos in philosophia et arte medica viros ac Praeceptores habuit. Logicam et Metaphysicam ex Ampl. SEIDLIZIO et Praecl. PEZOLDIO percepit. Mathefin puram docentem Exp. WÜNSCHIVM audiuit, Physices praecepta ab Exp. LVDWIGIO sen. et Magiam naturalem ab Ampl. FVNCCIO, accepit. In botanicis scholis Exp. POHLIVM jun. frequentavit, nec non anatomen, artemque obstetriciam ex eius ore hausit. Exp. LEONHARDII jun. scholis chemicis, pathologicis, therapeuticis, pharmaceuticis, clinicis interfuit, atque materiam medicam, artemque formulas medicas concinnandi ex ipso didicit, cuius etiam scholas examinatorias et disputatorias adiit; Exc. PLATNERVS Anthropologiam et medicinam forensam ipsi explicavit; Anatomen, physiologiam, artemque humana corpora dissectandi Exc. HAASIVS docuit. Ab Exc. GEHLERO in physiologia instructus fuit, Pathologiam, Therapiam, Chirurgiam, Clinicam, inflammationis doctrinam morbosque puerorum maxime ipsi colendus Patronus Exc. KRAVSIVS exposuit, ingeniumque examinando exercuit, quem non solum in his doctrinis praeceptorem, sed etiam fautorem habuisse optimum, studioque sua saluberrimis consiliis iuuantem, gratissimo pioque animo recordatur, ac nunquam tanta beneficia mente sua casura pollicetur. Exc. BOSIVM de anatome differentem audiuit, qui et humana cadavera dissectandi veniam benevole ipsi concessit,

cessit, sub cuius quoque moderamine ipsi contigit, chirurgicis operationibus in theatro anatomico a Cl. HEBENSTREITIO institutis, interesse.

Mihi praeterea, medicinam forensam et historiam medicinae tradenti assiduus adfuit auditor. Neque sibi defuisse beneficia, pia, mente recordatur, quandoquidem summa munificentia Illustrissimi Domini Caroli Henrici S. S. Imperii Romani Comitis de Schoenburg, Serenissimo Principi Saxoniae Electori ab intimis consiliis, Dynastae in Wechselburg, Penig, et Glaucha etc. factum est, ut per integrum annum stipendio frueretur, quod beneficium semper obstrictissima et pietatis plenissima mente se culturum obstrictissima mente spondet. Sic praeparatus ac instructus d. VIII April anno LXXVIII in examine theoretico tentatus, et consensu Gratiози Medicorum Ordinis Baccalaurei honoribus ornatus, mense Iulii anno LXXIX in lectionibus publicis, quas pro Licentia vocant, de catameniorum fluxu exposuit. Denique nuper d. XIX. Ian. huius anni alterum examen practicum sustinuit, in quo, cum Recte ad quaestiones propositas respondisset, veniam impetrauit, cathedram conscendendi, ex qua, Praefide Exc. KRAVSIO Collega coniunctissimo, semiotices medicae generalia commentata, aduersus dissentientes tuebitur.

Hoc finito certamine, quo vltimam officii sui partem explebit Candidatus noster, ego quoque, quod mei officii est, peragam, ipsique pro ea, qua ad solenniore hunc actum clementissime atque legitime instructus sum, *Procancellarii* auctoritate, plenam dabo potestatem atque Licentiam, summos Doctoris in arte nostra honores capiendi. Quod, dum proximo *Veneris* die, xvii. *Mart.* facturum sum, MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSIMOS VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES, nec non GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS VNIVERSITATIS NOSTRAE LITERARIAE CIVES, obseruantissimis atque humanissimis rogatos cupio precibus, vt panegyrim hanc frequente sua praesentia splendidior reddere, atque me, *de inutili medicamentorum compositorum farragine* breui sermone dicturum, beneuola audientia dignari haud grauentur; pro quo insigni fauore, Ordini meo mihiqve tributo, me ad grates publicas referendas paratissimum fore, antiqua fide spondeo.

P. P. Dominica Quadragesimali quinta, *Iudica* dicta,
A. R. S. MDCCLXXX.

LIPSIAE,

EX OFFICINA LANGENHEM. HEREDD. ET KLAVBARTHIA.



a.
Med. Prod.

